



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim**

**Innozenz <III., Papst>**

**Parisiis, 1682**

**Illvstri Regi Anglorvm.**

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20006**

niam mentiti fuerant spiritui sancto, à conspectu Apostolorum principis, cuius sumus, licet immeriti, successores, mortui sunt educti. Cùm ergo nulla vel modica distantia sit inter perjurium & mendacium sacerdotis, dicente scriptura quod verba sacerdotis aut vera sunt aut sacrilega, debent ecclesiastici viri, & præsertim qui prælationum obtinent dignitates, reatum perjurij & crimen mendacij penitus evitare & sic fugere inconstititia levitatem ne... sit eis si terram duabus viis ingredi convincantur, & si culpam incurrent, non effugiant disciplinam. Miramur igitur non modicū & movemur quod cùm carissimo in Christo filio nostro illustri Regi Ottoni in Romanorum Imperatorem electo fidelitatis præstiteris juramentum, & ab eo de regalibus fueris investitus, postquam per venerabilem fratrem nostrum Siffridum Maguntinum Archiepiscopum consecrationis beneficium suscepisti, repuisti penè penitus circa eum, & ipsi tuae devotionis obsequium subtraxisti. Ne igitur subditis tuis occasio fias similis levitatis, qui eis fortitudinis & constantiae debes exempla præstare, fraternitatem tuam monemus & exhortamur attentiū & per apostolica tibi scripta præcipiendo mandamus quatenus sic de cetero in ejus fidelitate persistas & sic ei patenter adhæreas & potenter quod præterita negligentia per subsequentem diligentiam expietur, nec tam citio incurrisse notam perjurij videaris, quia id non possemus æquanimiter tolerare.

*Scriptum est Abbatii Corbeiensis in eundem ferē modum usque juramentum, & ei à suae promotionis initio auxilium præstiteris & favorem, nunc ultimò repuisti penè penitus circa eum &c. usque expietur, nec incurrisse notam perjurij &c. usque ad finem.*

ARCHIEPISCOPO TREVIRENSI.

Epist. 126.

**Q**ualiter juramentum coram nobis præstatum & postmodum exhibutum in manibus Legati nostri observaveris, ne dicamus violaveris, qualiter irrita feceris quæ de tuis labiis processerant, dum veniens contra propriam sponzionem, promissiones infregeris redactas in scriptis & sigilli proprii munimine robatas, qualiter in obedientia & devoteione non persistiteris, tua prudentia non ignorat. Nos autem, licet possemus ex iis tamquam noritos, & qua nulla poterant tergiversatione celari, canonica severitatis in te lentitiam promulgare, credentes tamen quod patientia nostra te ad pœnitentiam revocaret, excessus tuos disimulavimus hactenus & te duximus ex multa gratia supportandum. Verum quoniam secundum impœnitens cor tuum thesaurizas tibi iram in die iræ, ita ut superbia tua semper ascendas, nec adicias ut conditionis propriæ recorderis, finaliter & peremptoriè tibi scribimus, sub debito juramenti & quanta possimus distinctione mandantes ut carissimo in Christo filio nostro illustri Regi Ottoni in Romanorum Imperatorem electo potenter adhæreas & patenter, per te ac tuos publicè ipsi auxilium tribuens & favorem. Alioquin securim ad radicem arboris instructuosa immo etiam permitiosa ponemus,

ne terram inutiliter occupet, & florentem vicinem sterilitatis suæ umbra confundat. Quod si aliqui de Ecclesia Trevirensi favorem tibi præsumerent adhibere, præsumptionem eorum taliter punitemus quod eorum pœna multis proficieret ad cautelam; immo etiæ tota Ecclesia Trevirensis in erroris tui defensione peccaret, nos in eam animadvertere curaremus, & honoris metropolitici dignitatem, quam per sedem est apostolicam assecuta, alias transferre properat in gratitudinis vitium cogeremur.

PRAEPOSITO, ARCHIDIACONO,  
Canonicis, & ministerialibus Ecclesie  
Trevirensis.

**I**nconstantiam & facilitatem, ne perjurium & infidelitatem dixerimus, Archiepiscopi Trevirensis vobis credimus per ejus opera pauciſſe. Nos autem memores dilectionis antiquæ quam apostolica sedes exhibuit Ecclesia Trevirensi, pro cuius defensione interdum persecutions etiam gravissimas est perpetua, & recolentes devotionem illam quam Ecclesia Trevirensis Ecclesie Romanae solita fuerat exhibere usque modò, mitius egimus contra eum, & ipsum duximus æquanimiter tolerandum, credentes quod patientia nostra eum ad pœnitentiam revocaret. Verum quoniam superbia ejus semper ascendit, ne videamur errorem ejus disimulando fovere, similiter ei ac peremptoriè scribimus &c. ut supra usque confundat. Ideoque discretioni veltra per apostolica scripta mandamus quatenus eundem Archiepiscopum ad mandatum apostolicum exequendum diligenter moneatis, patati, cùm super hoc secundò vobis scriferimus, quod mandavimus humiliiter adimplere. Credimus enim & pro certo tenemus quod Ecclesia Trevirensis Ecclesie Romanae matris & magistra suæ dispositioni parebit, nec ejus obviabit aliquando institutis. Quod si forsitan, quod non credimus, in erroris ejusdem Archiepiscopi defensione peccaret, in eam animadvertere curaremus, & in pœnam ipsius honoris metropolitici &c.

ILLVSTRI REGI OTTONI IN  
Romanorum Imperatorem electo.

**C**um inter te ac dilectam in Christo filiam natam Ducis Brabantæ sponsalia fuerint approbante Legato nostro contracta, nostra voluntatis existit ut quod initiatum est legitimè, nisi per alium steterit, compleatur. Cùm ergo puerilla ipsa ætati nubili sit vicina, monemus serenitatem tuam & exhortamur attentiū quatenus usque ad nubilem ejus ætatem expectes, & si pater ejus eam tibi tradere noluerit requisitus, ex tunc liberè cui volueris, in Domino tam, nubas.

ILLVSTRI REGI ANGLORVM.

**Q**uantum tuæ serenitatis excellentia honoris & exaltationis recipere incrementum, si carissimi in Christo filij nostri illustris Regis Ottonis in Romanorum Imperatorem electi promotio felicem sortiretur eventum, si diligenter attendas, intelliges per te ipsum, cùm te latere non possit quod ei non solidam adver-

# De negotio imperij.

745

sarij sui potentia, sed & tua consanguinitatis respectus multiplicavit amulos & hostes adiuxit. Ne igitur ad onus sit ei potius quam honorem quod te proxima linea consanguiniratis attingit, non solum ex abundantia divitiarum tuarum ejus deberes indigentie providere, sed multa etiam tua necessitatibus subtrahere ut ejus necessitudinem sublevares. Cum ergo inclita recordationis Richardus Rex Angliae frater tuus ei certam legaverit pecunia quantitatem, & tu illam te juraveris, sicut accepimus, solutum, jurantibus tecum Episcopis regni tui, rogamus serenitatem regiam & exhortamur attentiis quatenus pecuniam ipsam eidem in multa necessitatibus articulo constituto persolvias, ne te ac nos in eam necessitatem inducas ut cum justa potentibus favore tenemur apostolicum impetriri, te ad solvendum debitum, quod non denegas te debere, cogere compellamus post commonitiones multotiens iteratas, per quas te non potuimus haec tenus emollire.

*PRIORIBVS ET CAPELLANIS  
Coloniensisbus.*

Epist. 130.

**Q**uod Colonia sedis apostolice filia specialis existat & veteris sigilli scriptura testatur, & Coloniensis manifestat assertio, & evidenter omnibus opera profertur. Ecce enim, ut in devotione sedis apostolice civitas ipsa solidaretur ex toto, nec ex aliqua ulterius parte nutaret caput languidum & cot mactens, quod ulceris sui fanie moliebatur inficere totum corpus, ut à planta pedis usque ad verticem nulla in eo sanitas remaneret, ad mandatum apostolicum excidisti a vobis, & virum idoneum & Ecclesiae Romanae devotum in caput vestrum hilariter assumpstis, qui vobis concordaret operibus, & servaret corporis puritatem. Gaudemus igitur & congandemus vobis in Domino & sinceritatem vestram prosequimur actionibus gratiarum quod expurgato fermento veteri, ne corrumperet totam massam, in azymis sinceritatis & veritatis vos ipse azymi ambulatis, & in fidelitate carissimi in Christo filii nostri illustris Regis Ottonis in Romanorum Imperatorem electi de die in diem persistitis fortiores. Monemus igitur dilectionem vestram & exhortamur in Domino & sub quanta possumus benignitatis affectione mandamus quatenus in devotione nostra & fidelitate Regis ipsius proficiatis jugiter, & sicut bene cœpistis, fideliter perficiatis, nec inpetum formidetis illius qui tamquam poster fluvium absorbere, vobis exilium & depopulationem civitatis vestrae, licet frustra, minatur: cui resistite fortes in fide, constantiam vestram & fortitudinem urbis vestrae in hoc pariter ostendentes, & potissimum confidentes in eo qui project in mare currum & exercitum Pharaonis, & qui nunquam deserit de sua misericordia confidentes; nec exaltationem hostis vel extollentiam potius formideris, quoniam omnis qui se exaltat, humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur juxta testimonium veritatis. Nos autem, qui puritatem vestram in multis haec tenus & nunc presertim in facto Adolphi quondam Archiepiscopi vestri, nunc depositi, sumus evi-

denter experti, ad honorem & profectum tam Ecclesiae quam civitatis vestrae, dante Domino, efficaciter intendemus.

*Scriptum est in eundem modum Plebanis Colonensis. Item Scabinis & universo populo Colonensi.*

*ILLVSTRI REGI ANGLORVM.*

Epist. 131.

**Q**uantum honoris & gloria quantumque fortitudinis & virtutis accresceret tibi & regno tuo, si carissimus in Christo filius noster illustris Rex Otto feruissimus nepos tuus ad coronam imperij tuo suffragio perveniret, regalis prudentia non ignorat. Cum igitur eidem Regi scripserimus ut ad hoc diligenter intendat, ad quod etiam nos intendimus diligenter, quoniam ex quo imperij coronam habere, Principes qui coronæ imperij tenentur astricti, ei tamquam domino procul dubio adhererent, serenitatem tuam rogamus, monemus, depositum, & hostam quatenus ei ad obtinendum coronam imperij, sicut caram habes gratiam divinam & nostram, & tuum diligis commendum & honorem, auxilium tribuas opportunum, de nostra circa ipsum gratia plena securus quod ad sublimationem ejus efficaciter aspiramus. Vnde si ei curaveris non minutatim, ut haec tenus, licet ratè, sed simul & plenè, prout decet & expedit, subvenire, negotium ejus non tam sibi quam tibi ad optatum perduetur effectum.

*E IDE M.*

**C**um carissimo in Christo filio nostro illustri Regi Ottoni nepoti tuo tenearis magnifice subvenire, non solum ratione carnis & sanguinis, verum etiam consideratione commodi & honoris, quoniam si per tua subventionis auxilium idem Rex nepos tuus ad coronam imperij perveniret, status utique regni tui robur susciperet & augmentum, plus utique quam oporteat litteris explicare mirramur non modicum & movemur quod ei vel de tuo subvenire non curas, vel latem de suo, videlicet quod ex testamento inclita recordationis Richardi Regis germani tui sibi solvere sine dubitatione teneris. Volentes igitur tam tibi quam ipsi paterna sollicitudine providere, serenitatem tuam rogamus attentiis & monemus, fideleri consilentes quatenus ei super his quæ praedictus Rex frater tuus ei testamento legavit non differas ulterius satisfactionem debitam exhibere, ne per tuum defectum suis impediatur profectus; quatenus si per te fuerit adjutus, negotium ejus optatum fortius erit effectum. Datum Roma apud sanctum Petrum xiiii. Kalend. Martij, pontificatus nostri anno octavo.

*Scriptum est super hoc Heliensi, Dasselensi, & Vigorniensis Episcopis. Cum carissimo &c. in eundem fere modum usque in finem. Quocirca fraternaliter vestram rogamus & monemus attentiis, per apostolica vobis scripta præcipiendo mandantes quatenus eundem Regem ad hoc moneatis prudenter & efficaciter inducatis. Et si forte per exhortationes vestras ad id induci nequiviverit, vos eum per distinctionem ecclesiasticam compellere non tardetis, non obstante compositione que facta est inter ipsos;*